

§. III. *Tertio*, qualem dicunt (1) *Fatum* five Dei voluntatem, quod nec inspiret salubria agendi tum consilia, tum studia, imò immittat turbas, & odia inplacabilia. Verum *màlorum hominum* quidem studia, ad divini Nominis dedecus, ad perniciem publicam coitura, rectè & turbatum iri & confundi *divinitus* solere censeas. Cæteroquin *nusquam numen abest, si sit prudentia* & obsequens sanæ rationi & Deo pacis auctori animus. (2) *Genios malos*, verè, ut mendacio & homicidio primitus nobiles. Cujus exempla & profana & sacra historia fuggeret, *cavendi* etiam curam S. Scriptura non rarò instillat. Sed hos per *representationem objecti* odiosi, vel sui gratiâ *alio sum* abstrahentis, movere potissimùm dicemus. In *filiis* quos S. Scriptura vocat, *incredulitatis* five impiis etiam phantasmatum errore meliorem intellectum impedire aliquando, non abhorret. Quamvis, in tam incerto Spirituum istorum motu, pronunciare difficillimum sit; ac illa oraculorum, jam *ἠουχίαν* five curam præsentis quietis Atheniensibus, jam dubio, sensu motum Cræso suggerentium, inoles nobis non nisi à posteriori, & per principia cum rationis tum revelationis divinæ, quadantenus innotescit, (3) *Alios homines*, qui vel pravitate animi, vel imprudentia vel suâ necessitate sufflaminant processum negotii, sc. objectis Mediatori diversis laboribus, ne vacare possit instituto, dum sibi, vel quod aliàs urgentiùs putat, ei prospiciat; Sic Ejus Partiumve ministris eò destinatis, vel loco vel alio incommodo intricatis, ne res omninò, certè pro tempore exitum non habeat. (4) *Naturales Caussas*, ut sunt Morbi, Mors, Tempestas ac Talia; De quibus distinctè dissertare, propriam opinionem interponere, exempla contrahere, & monitis opportunis componere: Nec minùs, *De secundâ Parte Argumenti*, initio propositâ, vel hiscere modò vector; cum ista in procinctu stans libare ægrè potuerim. Eoque proficiscenti & forte Musonii Rufi *de Bonis Concordiâ* inter armatos differentis fortunam ap. *Tacit. Histor. lib. 3. c. 81.* *experturo*, ut *Tuba Pacis* auctor egregius præcavet sibi, tantisper venia dabitur, *dum sperata quies nostris se infuderit ausis.*

S. D. G.

Coll. diss. A. 203, misc. 22